Ordinis Carmelitarum Prouinciæ Apuliæ.

Eme, & Rme Dne. Certa omninò est Capituli Prouincialis nullitas de qua est quæstito, quia vt diximus in nostro Restrictu, Reuerendissimus Pater Generalis Aduersarius anticipauit Capituli conuocationem, iuxtà præscriptum Ordinis destinatam in die Dominico 3. post Pascha, eoque magis, quia evulgatam anticipationem pro die 22. Ianuarii 1724. adhùc noua anticipatione aggrauavit, dùm iuxtà hodiernam Partis aduersæ assertionem, prima Capitularis Sessio habita fuit die 19. d. Mensis, & hæc postrema anticipatio non alio intuitu potest facta censeri, nisi ad effectum eludendi Decreta à S. Sede proditura, & vt ab ipso Patre Generali posset allegari Decretorum ignorantia, ciusque prætextu defiendi validitas Capituli.

Verumtamen illamet anticipatio irrationabilis, illa præcipitantia prout satispandit malum animum, & artificia Patris Generalis, eiusque Asseclarum, ità etiam exigit, vt rigorosè procedatur in examinandis eius gestis, eisque annullandis, si legum, & Sacrorum Canonum præscriptum ità suadeat.

Porrò Patri Generalis non bene se gessit, quatenùs posthabita correctione Patris de Laurentiis, eiusque vitiis neglectis, eumdem sibi socium adiunxit in Visitatione Prouinciæ Apuliæ, & vbique Locorum blanditias, suasiones, ac etiam minas adhibuit, vt Patrem de Laurentijs ad Gradum Prouincialis extolleret, vt patet *ex nostro Summ. impress. num.* 4. Cumque plurium Capitularium Vota ità per seipsum, ac etiam ope sui fidissimi Socii Patris Iturbide aucupare studuerit, vt pariter resultat *ex eodem Summ. num.* 4. *& seq.* ea quepropter iam certi simus de immoderata ipsius Patris Generalis affectione ergà præd. Patrem de Laurentijs, exindè facilè censendum est, reliqua omnia pro eius immeriti Religiosi electio ne fuisse gesta subdole, & abusum Laicæ potestatis fuisse commissum ex condicto, itaut Capitulum, & electio Provincialis sit intrinsecùs, & insanabilitèr nulla, *per Text. in cap. quisquis de elect.* cum alijs allegatis in nostro Restrictu §. *Hinc autem &c.*

Non leuis quidem est fraudis præsumptio, quotiescumque apparet præcedens immoderata Agentis affectio; At frustra per præsumptiones incedimus, dùm omninò certa habetur probatio abusus Laicæ potestatis, quæ ad electionem coactandam adhibita fuit ab ipso Patre Generali, etenim fides relata in nostro *Summ. nu.* 6. ad veritatis cognitionem exuberat, quia ostendit, Religiosos vocales invitatos fuisse à Patre Generali, vt accederent ad eius Cubiculum,

ibique audirent præceptum de non excludendo Patere Laurentio à Dignitate Prouincialis. Vocatio illa Religiosorum facta fuit die Mercurii 19. Ianuarii 1724. circa horam 24. quando iam ab Vrbe ad Ciuitatem Liiciensem peruenerant Litteræ continentes Decretum Papale, prohibitionem eligendi Patrem de Laurentiis, vt patet ex fide Officialium in *d. nostro Su. n. 7.* Cumque certò constet idem præceptum affectatum fuisse animo frustrandi mandata, & decreta S. Sedis, huiusque Sacræ Congregationis, vt clarè conuincitur ex eadem attestatione in *d. Summ. num.* 6. ibi = *Diceua non doversi escludere per ordine di Roma dal Prouincialato il P. Maestro Gio: Maria de Laurentiis, se d. ordine non fosse prima contrasegnato dall' Esequatur Regio* = Adeoque tam inspecto tempore publicationis, quàm inspecto fine, proptèr quem facta fuit publicatio dicti præcepti, dubitandum non est, quin Pater Generalis ex proposito cogitauerit de frustranda inhibitione Papali per abusum Laicæ potestatis.

Nec potest sese excusare ex eo, quod præceptum sibi aduenerit irrequisitum, & inexpectatum; Tum quia nimis inuerisimile est, à Regiis Ministris in Ciuitate Neapoli degentibus transmissum fuisse præceptum læsiuum Ecclesiasticæ libertatis. Tùm maximè quia ipse P. Generalis facto suo probauit præceptū sibi obvenisse ex condicto, illud namque recepit absque vlla reluctantia, & vt solemnior fieret eiusdem præcepti receptio, conuocauit alios Religiosos in eius cubiculo non existentes, vt testantur illi subscripti in d. fide data in *Smm. impress. num.* 6. ibi = *Il Mercordì ad ore 23.* $\frac{1}{4}$ *in 24. ci fe chiamare in propria Camera il P. Generale Gasparo Pizzolanti, doue giunti ritrouassimo il sud. P. Generale col suo Compagno &c. ed il Signor Auditore Carcani, da lui fù immediatamente presa vna carta &c. che letta alla presenza di tutti i PP. sud., e nostra, diceua non douersi escludere per ordine di Roma dal Prouincialato il Patre Maestro Gio: Maria de Laurentiis &c.* Cùm ergo Pater Generalis non vllam resistentiam, sed imò obsequium exhibuerit precepto, atque vlteriùs sese illius executorem fecerit, vtique non depræhensus, neque coactus, sed vltrò abusus fuit laica potestate, adeout tanti abusus reatum nequeat euitare, ad benè firmata per *Card. de Luc. in Miscell. Eccles. disc.* 17. *num.* 8. *versic. quin imò Rot. decis.* 1093. *num.* 10. *coram Penia, & decis.* 282. *num.* 17. *coram Bichio.*

Immò quià idem Pater Generalis quantumuis Ecclesiam claudi, & Conuentum Custodibus vallari iussisset, nè vlli Laico pateret accessus ad Capitulum, attamen permisit, vt illùc accedere posset Regius scriba, qui post euulgatum aduentum inhibitionis Papalis die Veneris 22. Ianuarij de mane, omnibus Vocalibus Capitulariter congregatis, magis solemniter repetijt præceptum, & iussit = *Non douersi obedire ad ordine veruno di Roma, se prima non auesse il Regio*

Exe-

Exequatur, *vt in dicto nostro Summario num.6.*: Idcircò dubitandum minimè est, quin eiusdem præcepti renouatio euenerit re, & consilio Patris Generalis, qui soli scribæ Regio permisit accessum alijs omnibus denegatum, & iterum audita Regij præcepti intimatione, conticuit, acquieuit, & silentio suo effecit nè alius quicumque ex Capitularibus posset reclamare; In his namque circumstantijs, quantumquis Pater Generalis non esset reus procurati præcepti, nunquàm tamen potest euitare reatum approbationis, & ratificationis, dùm ipse curauit, vt præceptum sibi, & Capitularibus præsentaretur, & in actu præsentationis quieuit, & annuit, ad benè firmata per *Rot. in dicta decis.282. num.16. coram Bichio*.

Nullamque excusatione Pater Zeneralis potest desumere ex eo, quod nemo Vocalium reclamauerit, immò quod omnes electionem posteà factam approbauerint vnanimi voce respondentes, nihil sibi superesse, quod opponerent contrà electionem factam: Etenim vigintiquatuor Vocales, qui Vota sua tulerant prò Patre Magistro Vlasto certò certiùs non responderunt quidquàm prò approbanda electione immeriti Patris de Laurentijs; Alij verò vtcumque annuerint, non aliter poterant respondere postquàm audiuerant iteratam præcepti regij intimationem cùm adiuncto grauium minarum in præiudicium sui, suorumque Consaguineorum; Adeoquè propter vim, & violentiam adhibitam, quotquot fuerint Vocales assentientes electioni Patris de Laurentijs, omnes haberi debent prò inuitis, & reluctantibus, quià consensus coactus non est *Gloss. in cap. quisquis de elect. cùm alijs apud Donat. prax. regul. tom.2. tract.1. num.2.*, *& seqq.* ac præcipuè prò dissentiente habendus est P. Magister Exprouincialis Ricchiutus, licèt in contrario *Restrictu* §.17. counumeretur inter assentientes, quia ille Ricchiutus, designatus *in contrario Summario num.15. litt.C.*, non est Nicolaus sed Cijrillus Ricchiutus à nostro Patre Magistro Nicolao diuersus.

Cùm itaque ex præcedentibus concomitantibus, & successiuis actibus malitiosa, & inexcusabilis appareat electio Patris de Laurentijs facta per studiosum abusum Laicæ potestatis, & animo eludendi supremam Summi Pontificis voluntatem toti Capitulo, & ipsis Aduersarijs apprimè notam, vtique pro nulla, & irrita haberi debet electio ex Iuribus allegatis in nostro *Restrictu* §. *Et quidem cum seqq.*, nec aliter iudicari patitur Sanctæ Sedis maiestas, & Sacri huius Consessus dignitas, nisi velimus, vt hæc irrita electio approbata possit alijs malitiosis electionibus exemplo esse cum maximo vilipendio Sanctæ Sedis, & Sacræ Congregationis.

Durior verò est eiusdem Capituli, & electionis approbatio, quia S. M. Innocentius XIII. prohibuerat, Capituli anticipationem, & expressè declarauerat, vt inhibitio sua deberet operari ex tunc, idest ab ipso momento temporis, quo suum Decretum edidit, vt *in nostro Summ. num.5.* Quamobrem etiamsi Decretum prædictum ad manus Patris Generalis non peruenerit re integra, sed post expletam primam Sessionem Capitularem, idest die Iouis 20. Ianuarij 1724.,

vt

vt exaduerso admittitur; Attamen ex hac facti veritate exaduerso admissa duæ procedunt illationes aptissimæ ad conuincendam electionis nullitatem insanabilem.

Prima nempe, quod etiam prima Sessio Capitularis quantumuis ignoranter expleta, debeat censeri nulla, & irrita, quia Decretum ex mente Supremi Principis operatiuum ex nunc ligat etiam ignorantes, eorumque facultates suspendit, atque irritat actum quantumuis bona fide gestum, vt latè firmatum fuit in nostro *Restricttu à §. Esto tamen cum pluribus seqq.*

Altera autem illatio est, quod duæ Sessiones postmodum habitæ in die Iouis, & Veneris 20. & 21. Ianuarij sint prorsus nullæ, & irritæ absque vlla spe sanationis, quia factæ fuerunt scienter, & in spretum Papalis inhibitionis, adeoùt Pater Generalis, qui voluit Sessiones illas explere, & sibi prohibitam electionem consumare, non possit vllo modo euitare pœnam de iure inflictam ijs, qui præcepta Sanctæ Sedis scienter contemnunt, ex allegatis in nostro *Restrictu* §. *Si igitur*.

Absque eo quod ad sese excusandum possit Pater Generalis iuuari dicterio = *qui continuat non attentat* =, præsertim quia, vt exaduerso iactatur, ità exigebat prudentiæ ratio ad effectum vitandi, ne tota Apuliæ Prouincia veniret ad arma ob mixturam Laicorum Magnatum, qui Vocalium suffragia post Capituli dissolutionem potuissent faciliùs scindere, & in Factiones diuidere.

Illud namque dicterium = *Qui continuat non attentat* = obseruatur quando principium possessionis est validum, & à quauis nullitate prorsùs immune; At quando principium possessionis est nullum, & irritum, tunc sanè æquè attentare dicitur qui facere incipit, ac qui factum continuat *Lancellot. de Attentat. par. 2. cap. 4. limit. 1. n. 11. & 87. Posth. de manut. obseruat. 17. n. 52. Rot. post eum. decis. 305. num. 3. & 4.* Proindè cum Capituli principium esset infectum, eiusque prima sessio esset nulla, tum quia malitiosè facta fuerat animo eludendi imminentem inhibitionem Sanctæ Sedis; Tum quia die Iouis, & antè initium secundæ Sessionis iam Pater Generalis viderat inhibitionem ipsam inductiuam nullitatis ex nunc, & sic omninò certus euaserat de primæ Sessionis nullitate; Vtique citrà vitium attentatorum, & citrà malam fidem non potuit ad secundam sessionem progredi; sed ab ea debuisset abstinere, nè vitium vitio, & nullitati nullitatem adderet.

Ea verò, quæ prædicantur de prudentia, possunt contemni, siuè quia de Causa exercendi prudentiam, de mixtura, & dissidiis Magnatum non vlla habetur fides; siuè quia prudentiæ ratio nequit vlla considerari in Superiore, qui a callidis socijs circumuentus immoderatam affectionem præconcepit, & Gremialium Vota aucupauit, atque implorauit opem Laicæ potestatis, vt pluribus valdè emeritis Religiosis anteferret vnum notoriè diffamatum, & excommunicatum.

Nimia igitur est nullitas Capituli celebrati, & continuati in spretum Apostolicæ inhibitionis, neque euitari potest eo prætextu, quod

voca-

vocales nostri Principales fuerint conscij de illius Decreti editione, & nihilominus neglexerint sese opponere continuationi dicti Capituli, vt obijcitur in *contrario Restrictu* §.21. & 22. Illa namque inhibitio concessa non fuit ad Supplicationem Patrum Principalium, sed prodijt motu proprio Summi Pontificis, vt satis superque conuincitur tum ex eo, quod in Secretaria non reperitur Libellus porrectus prò eadem inhibitione obtinenda, tum ex eo, quod idem Decretum relatum in *nostro Summ. num.5.* licèt enunciet supplicationem, ibi = *Supplicante Patre Nicolao Maria Ricchiuto &c.* = intelligendum est de Libello porrecto huic Sacræ Congregationi, in quo sub die 15. Decembris 1723. rescriptum fuit = *Pater Generalis vtatur Iure suo ad formam Constitutionum*. Cumque idem Decretum Papale motu proprio editum non fuerit nobis ostensum, neque communicatum, sed iuxtà mentem Summi Pontificis immediatè consignatum Patri Procuratori Generali pro illius celeri transmissione ad Ciuitatem Lyciensem, vt liquet ex attestatione Eminentissimi Domini Cardinalis Petra tunc Secretarij relata in calce dicti Decreti Papalis *Summ. num.5. litt.A.* Ex his omnibus proùt in nostris Principalibus exclusa remanet scientia dicti Decreti, ità etiam exindè corruit illatio renunciationis desumptæ ex acquiescentia, & ex omissa protestatione ex parte Patrum Principalium, quia dum ignorabant Decretum Papale, non poterant eius vigore animari ad protestandum, & opponendam nullitatem è conspectu Patris Generalis insistentis pro Capituli prosecutione, & adiuuati a Regio præcepto asperis verbis, & grauibus minis abundanti.

At quando Capituli, & electionis consummatio non posset irrita declarari ex mala fide Patris Generalis, qui Laicæ potestatis opem implorasse non videatur, quonammodò poterit vnquam euitari nullitas omninò certa promanans ex eo, quod idem Pater Generalis blanditijs, & importunis suasionibus captauerit Vocalium suffragia, vt electio caderet in Patre Laurentio palàm diffamato, iudicialiter de excessibus conuicto, & notoriè excommunicato? Si percurratur contrarius Restrictus, non poterat nec melior, nec dignior eligi in Prouincialem; Ipse Pater de Laurentijs vbiquè doctus, vbiquè prudens, nemini Discipulus, omnibus Magister prædicatur, & in Conuentu Bitunti dicitur vtì Prior præfuisse cum tanta pietate, & sedulitate, vt disciplinam regularem ibi collapsam reparauerit, & ipsum Conuentum reddiderit ditiorem.

Sed sileant huiusmodi præconia nouissimè hausta à paucis Religiosis ab ipso Patre de Laurentijs tanquam Prouinciali beneficatis, & ad diuersas Dignitates immeritò euectis. Veritas stat in oppositum, & mendicata præconia iugulat, & suffocat; Imò ipse Pater de Laurentijs se ipsum, suosque excessus prodit, & pandit; Quoniam vix aperta Visitatione Conuentus Bituntì, priusquam inspiceret faciem Patris Prouincialis Ricchiuti, se dedit fugæ, *nostro Summ. impresso num.2.*, sicquè Prouincialis faciem, & Iudicium effugiens, ostendit se velle tantùm euitare suorum criminum cognitionem, & pœ-

nam *Farinacc. in prax. Crim. parte prima Tit. de indic. ad Tortur. quæst. 48. numero primo, Add. ad eum conſ. 19. litt. H.*

Cumque plures exceſſus verificati fuerint ex relatione per Reuerendiſſimum Cornacciolum expoſita, & examinata in hac Sacra Congregatione ſub die 6. Auguſti 1721. quandò prodijt Reſcriptum = *Suſpenſo interim Priore de Laurentijs &c.* = ac vlteriùs ex oculari Librorum inſpectione conſtiterit Patri Prouinciali Ricchiuto de omiſſa Relatione Partitarum ad Introitum Conuentus Bitunti, ac viceuerſa de duplicatione Partitarum in Exitu, vt patet ex Proceſſu in manibus Eminentiſſimi Ponentis planè ex his omnibus exuberanter verificata remanet iuſtitia Sententiæ latæ contra Patrem de Laurentijs, eiuſque crimina ſatis probata debent cenſeri, non obſtante eius fuga, & latitatione, & ſic verificatum remanſit illud Senecæ in Epiſt. 105. = *Nocens habuit aliquando latendi fortunam, nunquam fiduciam* =

Certiorque apparet aſſerti Patris Prouincialis reatus, quando recurſu habito ad hanc Sacram Congregationem, obtinuit Cauſam in gradu Appellationis poſſe reuideri à Commiſſario per Patrem Procuratorem Generalem deputando, iuxtà Reſcriptum editum die 31. Januarij 1721., & nihilominùs non potuit inueniri, qui Iudicium appellationis expleret, quoniàm Pater de Laurentijs Commiſſarios omnes ſucceſſiuè deputatos perterruit, vt patet ex relatione Patris Generalis Cornaccioli in noſtro *Summ. n. 1. litt. A. B., & C.*; Quomodò enim credi poteſt innocens, qui nulli Iudici ſe credere audet, & omnes habet ſuſpectos?

His omnibus criminoſæ conſcientiæ probationibus exaduerſo opponitur Sententia abſolutoria lata à moderno Patre Generali ſub die 10. Septembris 1723. Verumtamen ea contemnenda eſt tanquam commentitia, quia ſi tùnc vſquè pronunciata fuiſſet, vtique in latebris non fuiſſet retenta, quando res erat de captandis ſuffragijs prò electione Prouincialis, & quando res erat de eius innocentia vindicanda ab aſſiduis oppoſitionibus tàm Patris Magiſtri Ricchiuti, quàm aliorum Vocalium.

Iniuſta verò eſt eadem ſententia vtpotequæ non potuit ritè proferri in Vrbe, dum Proceſſus vel iudicialis, vel extraiudicialis à Patre Generali confici debebat in actu Viſitationis longè poſteà incohatæ menſe Decembris, vt præuentiuè animaduertimus in noſtro Reſtrictu §. *Si igitur*. Cumque omninò certi ſimus, ex Voto Patris Generalis, eiuſque Sociorum in Conuentu Lijcenſi plurium Amanuenſium ope innouatos fuiſſe Libros ipſos, ſuper quorum defectibus prodierat iuſta ſententia Patris Exprouincialis Ricchiuti, nec dubitandum ſit, quin omnes Partitæ ab erroribus expurgatæ fuerint, & accomodatæ genio, & Voto Patris Laurentij, eiuſque fautorum; Propterea certò, certiùs credendum eſt, vel aſſertam ſententiam Patris Generalis prodijſſe menſe Septembris, vel omninò nullam fuiſſe, & iniuſtam, vtpotequæ lata fuit non ſuper malà adminiſtratione, quæ tunc erat innegabilis, ſed ſuper futura Partitarum correctione, quæ ex condicto Iudicis, & Partis debebat eſſe erronea, & arbitraria.

Et

Et ſicuti ad probandam innocentiam Patris de Laurentijs nihil conferre poteſt dicta ſententia Patris Generalis, ita etiam minimè poſſunt iuuare atteſtationes ex aduerſo productæ ſuper beneficijs, & meliorationibus à Patre de Laurentijs factis in Conuentu Bitunti. Nam ſententia Patris Prouincialis Ricchiuti lata fuit in principio anni 1721., & attationes ex aduerſo nuper mendicatæ percutiunt finem anni 1723. Ideoque ob tantam temporis intercapedinem non aptæ ſunt conuincere iniuſtitiam ſententiæ longe præcedentis, quæ lata fuit ſuper rebus anteà geſtis, nec potuit feri ſuper futuris.

Si verò Eminentiſſimi Patres velint ſcire cur Pater de Laurentijs circà finem anni 1723. potuerit in Conuentu Bitunti facere meliorationes ex aduerſo exageratas ſtatim cauſa comperta eſt, & proceſſit ex eo, quod Religioſi reſidentiales vbi viderunt Gubernium attentate reaſſumptum à Patre de Laurentijs, illicò prò maiori parte dereliquerunt Conuentum Bitunti, adeout ex quadraginta Religioſis ibidem reſidere ſolitis, remanſerint ſoli duodecim; Familia autem ad numerum adeò exiguum redacta, mirum non eſt, quod Prior intruſus vix fecerit melioramenta à Prædeceſſoribus fieri conſueta etiam tempore, quo quadraginta Religioſi in dicto Conuentu morabantur.

Quorſum tamen hæc ſeria? Pater de Laurentijs à Conuentu Bitunti per ſententiam expulſus, poſtquam ſuæ ſententiæ condemnatoriæ reuiſionem fruſtrauerat, impudenter redijt ad eumdem Conuentum, exindè eiecit Priorem ſibi à Superioribus ſubrogatum, ſeſeque intruſit in Officio Prioris, & ſcandalum excitauit in tota Prouincia, atque vlterius ſtuduit illudere etiam huic Sacræ Congregationi, à qua petijt cauſam remitti ad Tribunal Nunciaturæ Neapolis, & quia Eminentiſſimi PP. die 8. Auguſti 1721. reſcripſerunt = *ſuſpenſo Interim Priore de Laurentijs, Procurator Generalis procedat prout de iure* = & ſub die 5. Septembris eiuſdem anni reiectus etiam fuit à beneficio nouæ Audientiæ, tunc confugit ad Tribunalia laicalia, & effectauit, vt ſibi iniungeretur onus continuandi in vſurpato officio Prioratus, & vt Conuentualibus præciperetur obedientia ergà ipſum Priorem, vt conſtat ex *noſtro Summario impreſſo num.2.*

Dùm itaque ità audactèr, & temerè ſe geſſit Pater de Laurentijs, ac deſpecta Sacræ Congregationis auctoritate, ſeſe confouere voluit in vſurpata poſſeſſione Prioratus, quis vnquàm poterit ſaluare Patrem de Laurentijs ab incurſu Cenſurarum, & à notoria excommunicatione, quæ ipſum reddidit ineligibilem? Nemo quidem, & fateri tenentur etiam eius Domini Defenſores, quia licèt illum excuſare prætendant tanquàm ignarum Reſcripti ab hac Sacra Congregatione editi pro ſuſpenſione ab officio Prioratus, planè imperceptibilis eſt ignorantia, dùm aduersùs Reſcriptum ſuſpenſiuum ipſe Pater de Laurentijs petijt nouam Audientiam, & reiectionem paſſus ſtatim implorauit Laicalem protectionem.

Quod autèm recurſus ad Superiores Laicos habitus fuerit non à Patre de Laurentijs, ſed ab eius Germano fratre, credat, qui credere poteſt

teſt, Fratrem Germanum in Ciuitate Neapolis commorantem tuiſſe diuinare Reſcripta in Vrbe edita pro ſuſpenſione Fratris officio Prioratus.

Quidquid tamèn ſit de protectione vel ab vno, vel ab alio ex Fratribus impetrata, ad intentum noſtrum exuberat, quod Pater de Laurentijs vice renunciandi protectioni ſibi oblatæ, & vice exclamandi contra Oblatorem, vltrò acceptauerit præceptum, eique acquieſcendo voluerit pertinacitèr ſeſe confouere in poſſeſſione, & exercitio Prioratus, vt benè probant *Card. de Luc. in Miſcell. Eccl. diſcurſ.* 17. *ſub numer.* 8., & *Rot. coram Bich. decis.* 282. *numer.* 16., & 17.

Proindè cùm Pater de Laurentijs æquè peccauerit acceptando, ac impetrando laicalem protectionem, vtique remanſit innodatus maiori excommunicatione, à qua perperam petijt abſolui ex abundanti, & ad meram cauthelam, & quatenùs Cenſuris erat deuinctus etiam tempore celebrati Capituli, vtique eius electio omninò fuit nulla, & quidem nullitate eſſentiali, quæ ad differentiam nullitatum procedentium ex defectu ſolemnitatum, ſiuè ex mera ſubtilitate Iuris non potuit vnquam, nec poterit iuſtè ſanari, tùm quia iſte eſt inconcuſſus ſtylus huius Sacræ Congregationis, vt probauimus in noſtro Reſtrictu §. *Verificata, & ſeq.*, tùm maximè quia non expedit adeò nullam, & infectam electionem ſubſtineri, & ſanari, nè præbeat alijs exemplum impunè peccandi, & nè S. Sedis, & S. Congregationis maieſtas vileſcat.

Quarè &c.

Franciſcus M. de Spannocchijs) Aduocati
Ignatius à Cornù)
Ioannes Baptiſta Forlinus.

SACRA CONGREGATIONE
Epiſcoporum, & Regularium
Eño, & Rño D. Card.
ZONDADARIO
PONENTE
Ordinis Carmelitarum Prouinciæ Apuliæ.
PRO
R.R.PP. Vocalibus Prouinciæ Apuliæ
Baren., & Lycien.
CONTRA
Rñum P. Generalem, & R. P. Ioſ. Mariam
de Laurentijs.

Reſtrictus Reſponſionis Facti,

illis non fuit; ergò tota pœna aliorum in eo refusa fuit; Proindèque summa ratione concludere possumus cum *Cicerone lib.* 1. *Officiorum circa medium*, ibi = *Cauendum est etiam ne maior pœna, quam culpa sit, & ne iisdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur quidem; Prohibenda autem maximè est ira in puniendo; nunquam enim iratus, qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium, & parum &c. Qui præsunt reipublicæ legum similes sint, quæ ad puniendum non iracundia, sed æquitate ducuntur &c. Vt rectè præcipere videantur, qui monent, vt quanto superiores simus, tanto nos submissiùs geramus.*

Quare &c.

Ioannes Baptista Forlinus.

SACRA CONGREGATIONE

Episcoporum, & Regularium

Emo, & Rmo D. Card.

PONENTE

ZONDADARI

Ordinis Carmelitarum Provinciæ Apuliæ.

PRO

R. P. *Magistro* Carmelo Pagano

CONTRA

Rmum P. Generalem.



Facti.



Typis Zinghi, & Monaldi 17